



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

8. De grauitate & leuitate elementorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

quam apud nos: ergo non habet tum maiorem raritatem.

Deinde hoc quod dicitur de magna illa ignis raritate ac tenuitate, ratione cuius non possit tantum calefacere, aut lucere, omnino excogitatum est ad euadendam hanc difficultatem; & si ibi ignis non possit tantum calefacere, ut lucere, non remanet nobis vlla experientia, ex qua possimus colligere quod ibi sit.

64. *Obiicitur primo*: sicut dantur tria elementa tantæ molis, quorum vnumquodque habet locum determinatum, in quo naturaliter quiescit: ita etiam dicendum est de igne.

Respondeo negando consequentiam, tum quia experientia constat dari illa alia elementa in locis determinatis, talis autem non habetur de igne; tum quia ignis habet diuersissimam naturam ab aliis elementis, ut patet ex eo quod non possit absque pabulo diu subsistere extra locum suum, sicut possunt alia elementa, & quod non possunt recipere qualitates contrarias qualitatibus connaturalibus suis, saltem in notabili aliqua intensiōe, sicut possunt alia elementa: ergo similiter posset habere differentiam ab illis quantum ad non habendum locum naturalem aliquem, in quo quiescat. Tum tertio quia quidquid emolumenti nobis constat haberi ab igne habetur melius ex eo, quod non habet locum determinatum. Tum quarto, quia cum ignis non sit substantia permanens diu ex natura sua, sicut sunt cætera elementa, non debet habere locum determinatum in quo quiescat.

65. *Obiicitur secundo*: sequeretur quod totum spatium à terra ad cælum esset repletum aere; & sic vnum elementum aeris excederet in proportione notabili, & improporcionata quodcumque aliud elementum, & deinde sequeretur quod deesset mundo elementum ignis per se nam ignis ille qui reperitur apud nos, omnino per accidens reperitur.

Respondeo concedendo sequelam quod ad primam partem; nec nos debemus tribuere vllam proportionem elementis in magnitudine, nisi quæ constat nobis ratione, aut experientia. Quantum ad secundam etiam partem.

Respondeo, non dari aliud elementum ignis, nisi qui apud nos est, & qui includitur in multis partibus terræ (omitto ignem Purgatorii, & Inferni) & si hic reperitur per accidens, concedo elementum ignis non dari nisi per accidens, nec id est inconueniens.

Si obiiciatur Scotus in 2. dist. 34. qu. 3. Responderi debet cum tantum ibi supposuisse ob auctoritatem, ignem esse in concauo Lunæ; Vnde nullam ipse adducit rationem ad id probandum. Quantum autem ad auctoritatem diximus in secunda parte conclusionis, quod sit probabilius ignem dari eo loci; vnde *Scotus* & quicumque posset absolute, & simpliciter dicere, quod ignis esset in concauo lunæ, nec hoc esset contra conclusionem nostram, qui solum eam asserimus specificata ratione, & seclusa auctoritate.

Q V Æ S T I O VIII.

De gravitate, & leuitate Elementorum.

66. *P*er gravitatem intelligimus virtutem illam, à qua habet corpus, si ponatur supra aliud corpus fluidum, descendere sub ipso, sicut habet lapis virtutem si ponatur supra aerem, aut aquam, descendere sub ipsis; & per leuitatem intelligimus virtutem illam, secundum quam aliquod corpus ex se si ponatur sub alio corpore, mouet se supra illud; sicut aer, si includatur in vesica, & ponatur sub aqua, mouet se supra aquam; & ignis, ut supponitur communiter (de quo, quæstione præcedenti) mouet se supra aerem.

Ex quibus ipsis exemplis patet duo elementa esse leuia, v.g. ignem, & aerem; & duo graua, verbi gratia aquam & terram. Ex duobus autem leuibus, ignis, si ex se habeat esse sursum supra aerem, est leuior, quia ascen-

dit supra aerem, non è contra; ex duobus vero grauibus terra est grauior, quia descendit infra aquam.

Si autem quæras, cur non dicantur omnia esse graua, sed cum hac differentia, ut vnum altero grauius sit, aut omnia leuia cum simili differentia.

Respondeo rationem esse, quod si omnia essent graua cum tali differentia, aer si poneretur supra ignem, quandoquidem grauior esset, deberet descendere sub igne; quemadmodum terra, quia grauior est, descendit sub aqua. Et si omnia essent leuia cum simili differentia, aqua si poneretur sub terra, deberet ascendere supra terram, quorum vtrumque falsum esse constat experientia. Itaque quia ex quatuor elementis duo ita se habent, ut si ponantur supra cætera, descendant naturaliter sub aliis duobus, & vnum ex illis sub altero; alterum vero si ponatur sub ipso, non ascendant supra ipsum, neque supra alia elementa, propterea dicuntur duo esse graua, ac nullo modo leuia; & ex illis duobus vnum altero grauius; & quia alia duo ita se habent, ut si ponantur sub aliis duobus, ascendant supra illa, & vnum ascendant supra alterum; alterum vero si ponatur supra illud, non descendat; propterea duo dicuntur, & merito esse leuia, & nullo modo graua, vnum autem ex illis esse altero leuius, nimirum illud, quod suppositum eleuat se supra.

Vbi aduerte obiter primo, male dici ab *Auerſa* qu. 40. sect. 3. quod aer, & aqua participant aliquid leuitatis, &

grauitatis; leuitatis, quatenus petunt aqua ascendere supra terram, & aer supra terram, & aquam; grauitatis autem, quatenus aqua petit descendere sub igne, ac aer; aer vero petit descendere sub igne. Hoc enim omnino falsum est: neque enim, aut aqua petit ascendere supra terram; neque aer si poneretur supra ignem descenderet sub ipso, sed potius, ignis supra ipsum ascendere deberet.

Aduerte secundo male etiam supponi ab *Arriaga* num. 50. quod aer sit grauis, & quidem grauitate eiusdem speciei cum grauitate aquæ, nam in primis non habet grauitatem vlllo modo, cum non sit natum descendere sub vlllo corpore.

Dices cum ipso, dum ignis ascēdit supra aerem aer descendit infra ignem. *Respondeo* hoc esse falsum, si loquamur de motu, qui oritur ex virtute ipsius aeris; loquendo vero de motu ipsius orto ex eo, quod impellatur aliunde, quamuis sit verum, non facit ad rem.

Quod si quæras tertio, an grauitas aquæ & terræ sint distinctæ speciei. *Respondeo* mihi videri quod sic, quia ex hoc, quod vnum ex ipsis petit, si ponatur supra alterum elementum, descendere sub ipso, potest argui quod distinguatur ab ipso specie; ergo cum hoc conuenit ipsi ratione grauitatis suæ, grauitas ipsius debet esse distinctæ speciei; & hoc maxime habet locum secundum sententiā inferius probandā, quod scilicet grauitas non distinguatur à substantia rei grauis, nec accipiat intensiōem per additionem gradus ad gradum. Quod autē dico de grauitate proportionem seruata dici similiter debet de leuitate. Quod si etiam terra & aqua non haberēt grauitates distinctas specie, nec aer & ignis leuitatem, adhuc grauitas terræ & aquæ distinguētur specie à leuitate ignis & aeris, quia hæc non est grauitas vlllo modo, nec illa leuitas, ut supra dixi; & quia effectus distinctissimi conuenirent ipsis; nimirum grauitati mouere se infra aliud, si ponatur supra, non vero mouere se supra, si ponatur infra contrariū vero cōuenit leuitati. Dantur quidem aliqua corpora, quæ participant vtramque rationē, respectiue tamen ad diuersa corpora: nam oleum ascendit supra aquam, si ponatur infra, & sic potest dici leue; mouet vero se infra aerem, si ponatur supra ipsum, & sic potest dici graue: hoc tamen ipsi competit per virtutem distinctæ speciei à grauitate & leuitate; nisi dicatur habere duas virtutes, secundum quarum vnam conuenit ipsi ascensus & secundum aliam descensus, quod fortassis non est improbabile, siue ponatur virtus ipsius esse realiter distincta, siue non.

Dices, si tolleretur superficies conuexa terræ, & aquæ, usque ad profunditatem vnus palmi, exempli gratia, aer

Cur omnia elementa non sunt, vel grauius, vel leuia.

Aqua nihil habet leuitatis.

Aer nihil habet grauitatis.

An grauitas aquæ & terræ sint eiusdem speciei.

aer deberet descendere; alias daretur vacuum ergo aer haberet gravitatem.

Respondeo, quod si tum moueretur, hoc accideret non ex inclinatione sua propria, sed ea ratione, qua mouetur aqua sursum ad impediendum vacuum; unde quemadmodum ex tali motu aquæ non dicitur esse vilo modo levis, neque etiam ex tali motu aeris debet dici esse gravis, ut patet.

Quod si quæras secundo, an mixta aliqua sint tam grauius, aut leuius, quæ elementa, vel grauiora, aut leuiora ipsis.

Respondeo imprimis mihi videri, quod lapides aliqui ex natura sua sint æque graues, ac terra, vel grauiora, & alia substantiæ leuiore aere. Ratio mea est, quia si non poneretur impedimentum terræ, descenderent ad centrum mundi non minus quam terra, & si poneretur lapides isti sub terra circa centrum mundi impediret descensum terræ, & si poneretur tam lapides, quam terra supra aquam, non citius descenderet terra, quam ipsi, & fortassis citius descenderent ipsi. *Rursus* experientia constat, quod fumus, vapores, & exhalationes ascendunt supra aerem. An autem possint etiam ascendere supra ignem existentem in cælo Lunæ, aut etiam supra ignem nostrum, non adeo potest colligi per experientiam, tum quia non constat dari supra aerem elementum ignis, tum quia etiam non constat quod aliquid positum sub igne nostro ascendat per ipsum supra ipsum.

Et hinc patet primo, non constare gravitatem & leuitatem esse proprietates qualitatum primarum, ac esse maiorem, aut minoris intensiōis in corporibus iuxta participationem maiorem vel minorem qualitatum primarum: quia si hoc esset verum, elementa ipsa, quæ magis participant illas qualitates essent leuiora, aut grauiora.

Confirmatur hoc, si orirentur ex primis qualitibus, aut haberentur iuxta maiorem, vel minorem participationem, primarum qualitatum, elementa symbola deberet magis conuenire in illis: sed hoc est falsum, nam terra & ignis, quæ sunt symbola in vtraque qualitate secundum nos, minus conueniunt inter se quam ignis cum aere, aut terra cum aqua in gravitate ac leuitate: ergo grauitas, ac leuitas nō habentur ex huiusmodi participatione.

Patet secundo, mixta non gravitate aut leuitate iuxta qualitatem prædominantis elementi in hoc sensu, quod ex participatione maiori elementi illius habeat gravitatem, aut leuitatem, quia ex participatione præcisè non potest habere æqualem gravitatem ipsimet elemento, & multo minus maiorem, ut patet manifeste ex eo, quod ex participatione tantum elementi in minori gradu aut quantitate, impossibile sit quod habeat maiorem gravitatem, quam si esset ipsummet elementum, tum quia participatio elementi quoad partem intensiōis aut extensiōis, non posset tribuere ipsi plusquam si haberet totam intensiōem & plures partes elementi; tum quia cum mixtum non solum participet vnum elementum, sed alia, consequenter grauitatio ac leuitatio ipsius, quatenus deriuatur ab vno elemento, deberet impediri aliquantulum per participationem aliorum elementorum oppositorum.

Patet tertio, pessime colligi à *Camerario* & aliis quod elementa sint formaliter in mixtis ex eo, quod iuxta prædominans elementum magis vel minus grauitent, aut leuitent.

Quod si quæras, quomodo ergo debeat intelligi illud quod communiter dicitur à Philosophis, nempe quod iuxta participationem prædominantis elementi leuitet vel grauitent.

Respondeo id solum posse esse verum facta comparatione mixtorum inter se quoad excessum maiorem, vel minoris leuitatis aut grauitatis, non quod solum habeant gravitatem, aut leuitatem suam ex prædominante elemento formaliter, sed quod quæ sunt grauiora, magis participant de elemento grauiori, aut maiorem habeant proportionem cum ipso quantum ad hoc; & quo sunt leuiora magis participant de leuiori elemento, aut maiorem habeant proportionem cum illo quantum ad hoc. His præmissis, difficultates hic examinandæ sunt

Prima, an grauitas & leuitas sint accidentia distincta à substantia rei grauis & levis; *Secunda* an elementa grauitent in propria regione, seu in loco suo naturali.

CONCLUSIO I.

71. Probabile est grauitatem & leuitatem, non esse accidentia distincta à substantia, cui conueniunt, sed identifi-
cata ipsi realiter. Hanc tenet *Arriaga* hic num. 73. contra *Auerjam* q. 40. s. 3.

Grauitas & leuitas non sunt accidentia distincta à substantia.

Probat, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Sed nulla prorsus est necessitas multiplicandi huiusmodi accidentia, quæ sint grauitas & leuitas: ergo.

Confirmatur primo, si essent accidentia, deberent esse absoluta, & consequenter vel quantitas, vel qualitas, ut omnes latentur: sed non sunt quantitas, quia quantitas in omnibus corporibus est eiusdem rationis, nec differ-
nisi penes maius ac minus: grauitas autem & leuitas distinguuntur specie; Deinde si essent quantitas, tum illud esset grauius, quod haberet plus quantitatis: sed hoc est falsum, ut patet experientia, quia constat sepe descendere corpora minoris quantitatis, & ascendere maioris. Non etiam sunt qualitas, quia vel esset aliqua qualitas prima, vel secunda; non prima, quia alias elementa essent grauiora ac leuiora aliis corporibus omnibus, quod etiam falsum conuenit experientia; non etiam secunda, quia sic requireretur aliquam mixtionem primarum qualitatum, & sic non daretur in ipsis elementis, aut certe non videtur posse esse in mixtis ac elementis in tali proportionem, quia magis deberent dominari in elementis quam in mixtis, aut è contra.

Confirmatur secundo, quia non constat nobis dari grauitatem ac leuitatem, nisi ex eo, quod videamus aliqua corpora moueri à se deorsum ac sursum, & imprimere maiorem ac minorem impulsu in alia corpora, faciliusque ac difficilius posse proici: sed ipsamet substantia rei potest principiare huiusmodi motum & impulsu, ac esse ratio, ob quam possit facilius aut difficilius proici: ergo non est recurrendum ad aliquod accidens distinctum.

Confirmatur tertio, quia ipsamet substantia, absque qualitate distincta potest producere aliquos effectus, ut intellectiōem & volitionem, & calorem ac frigus, ut patet ex dictis 2. *Philosophorum*, & ex dicendis de anima: ergo potest etiam producere in se ubi sursum ac deorsum, & imprimere impulsu in alia corpora mediante suo motu, & consequenter in ordine ad hoc non est recurrendum ad qualitatem distinctam.

Obiicit primo, grauitas est eiusdem speciei in omnibus corporibus: sed formæ substantiales non sunt eiusdem speciei: ergo grauitas non identificatur realiter formis substantialibus, & consequenter erit accidens.

Respondet Arriaga, negando maiorem, quia quamuis impulsus, qui causatur à graui, sit eiusdem speciei, tamen ipsamet grauitas, à qua prouenit, non debet esse eiusdem speciei: sicut, inquit, motus localis hominis & bruti sunt eiusdem speciei, & tamen potentia loco motiua est diuersæ speciei.

Sed hæc responsio non placet, nam si grauitas non habet alium effectum, quam illum impulsu, & ille sit eiusdem speciei, profecto & grauitas etiam ut grauitas debet esse eiusdem speciei, alias posset quis dicere quod albedines essent diuersæ speciei, quamuis sensationes ab ipsis prouenientes sint eiusdem speciei. Et per hoc ipsum patet quod si potetia loco motiua hominis, & bruti non habeant aliquem effectum quam motum localem, quod si hic sit eiusdem speciei, etiam potentia illa debet esse eiusdem speciei, siue identificetur substantiis, siue non.

Respondetur ergo aliter, negando consequentiam, quia aliqua formalitas eiusdem speciei potest identificari realiter rebus distinctæ speciei, ut animalitas identificatur homini & bruto.

Possit etiam responderi secundo, distinguendo minores formæ substantiales omnes quæ habent secum connexa grauitatē, ut dicunt formaliter grauitatem, aut sunt grauitas, nego minorem; secundum alias considerationes concedo minorem & nego consequentiam.

N n n 3

Confirmatur

An grauitas & leuitas sint proprietates qualitatum primarum.

Confirmatur hac responsio, quamvis grauitas esset distincta, si sit eiusdem speciei in omnibus corporibus, debent illa corpora conuenire inter se in aliqua ratione vna, ratione cuius exigunt illam qualitatem grauitatis, quæ est eiusdem speciei, & illa ratione non potest esse diuersa quantum in illis; ergo potest illa ipsa ratio esse grauitas quantum ad hanc difficultatem.

Obijciens secundo: Grauitas & leuitas sunt capaces intentionis & remissionis: sed substantia non: ergo grauitas & leuitas non identificantur substantiæ.

Respondeo, negando maiorem, loquendo de grauitate aut leuitate vnius corporis, illa enim semper manet eiusdem intentionis. Quod si velint aduersarij grauitatem & leuitatem esse capacia maioris ac minoris intentionis, quatenus vnum corpus potest esse grauius altero, & alterum alio lenius, id certum est, sed eodem modo potest substantia esse capax intentionis & remissionis, quatenus vna est alia perfectior, verbi gratia quatenus vna exigit plus caloris quam alia, & quatenus potest velocius currere quam altera.

Obijciens tertio, Grauitas percipitur sensu; sic percipi nequit substantia; ergo grauitas non est substantia.

Respondeo negando antecedens: grauitatem enim corporum non cognoscimus per sensum, nisi à posteriori, quatenus sentimus impulsu ab ipsis impetum, aut quatenus videmus motum ab ipsis causatum.

Obijciens quarto: remanet grauitas eadem in venerabili Sacramento, quæ fuit, dum erat substantia panis & vini sub illis speciebus: ergo grauitas est accidens distinctum à substantia illa, aliàs non maneret ea destructa.

Respondetur negando antecedens, quamvis enim appareat esse eadem grauitas, quia sentimus effectum ipsius; tamen re vera non est ibi; ille autem effectus eius causatur à Deo supplente defectum istius grauitatis; sicut enim supplet defectum substantiæ, quantum ad concursum materialem & effectuum quem tribueret accidentibus si adfuisset; & sicut etiam ipse substituit materiam nouam miraculose, quando agens naturale producit dispositiones sufficientes ad formam substantialem, quæ absque tali materia produci nequit, non est mirum quod etiam miraculose suppleret defectum istius grauitatis.

Dices hinc sequi multiplicari miracula absque necessitate: nam si poneretur grauitas esse accidens, non esset recurrendum ad hoc miraculosum supplementum, ad quod recurri debet, si non sit accidens.

Respondeo negando sequelam: nam necessitas sufficiens recurrendi ad hoc miraculum est, quod alias multiplicarentur entia naturalia, absque necessitate rationis, aut experientia.

75. *Obijciens quinto*: grauitas hominis nequit identificari substantiæ ipsius; neque enim identificari potest materiæ primæ, quæ ex se est indifferens ad grauitatem, ac leuitatem, neque animæ ipsius, quæ est spiritualis.

Respondeo negando antecedens: quemadmodum enim secundum aduersarios debet ipsi identificari illud, ratione cuius exigit grauitatem, ita etiam potest identificari ipsi ipsamet grauitas. Ad probationem autem dico in nostra sententia rem esse facilem, quia non debet identificari materiæ aut animæ, sed vel formæ corporeitatis, quam in homine præter animam ponimus, vel in toto composito ex materia & illa forma resultat; quod si etiam nulla alia forma poneretur in ipso præter animam, adhuc posset identificari toti composito ex anima & materia primæ: hoc enim totum compositum posset ex se esse determinatum ad motum deorsum, & ad impellenda alia corpora; nec hoc impediret spiritualitatem animæ. Alias obiectiones proponit *Arriaga*, quæ facile solui possunt ex dictis, vt propterea non sit necessarium eas hic proponere.

Hæc quoad primam difficultatem sufficiant; nunc vt ad secundam veniamus, aduertendum, grauitate elementa, non esse aliud, quàm ea vel tendere deorsum, vel imprimere impulsu in subiectum corpus, quo impellant ipsum deorsum; sicut terra, aut aqua, ac lapides in aëre positi imprimunt suppositis corporibus sic, vt etiam animalia fatigent, & etiam quandoque interficiant.

malia fatigent, & etiam quandoque interficiant.

CONCLUSIO II.

76. *Neque ignis, neque aër grauitant in propriis locis, aut in alienis, ex virtute sua natua, nec leuitant etiam dum existunt in propriis locis, bene tamen in alienis.* Hæc in re debet esse communis, & patet prima pars, quia nullo modo sunt grauia, vt supra ostensum est: ergo non possunt grauitare in villo loco.

Probatur tertia pars, quia dum aër infra aquam existens ascendit sursum, & ignis, dum ascendit supra aërem, impellunt alia corpora ante se: ergo eodem modo leuitant, quo corpora grauia grauitant, dum descendunt deorsum.

Probatur secunda pars, quia ideo impellunt, vt pertinent ad locum suum: ergo quando sunt in loco suo, non impellunt, nec conantur ulterius tendere.

Confirmatur prima pars, quia si aër grauitaret, sentiremus nos grauari pondere tanti aeris, quantus est super nos, quemadmodum sentimus pondus exigui lapidis: sed hoc est falsum: ergo non grauitat.

Confirmatur similiter secunda pars, quia sentiremus impetum aeris manui suppositi, sicut sentimus impetum eius eleuantis se supra aquam, quod est falsum.

Dixi in conclusione virtute sua, quia si moueatur ab extrinseco in loco suo sursum, aut deorsum, potest sentire impetum eius; sed hoc non est ad propositum.

77. *Obijciens contra primam partem* duas experientias ab Aristotele propositas; prima est de ligno centum librarum, quod plus ponderat in aëre quam plumbum vnius libræ, cum tamen in aqua plus ponderet plumbum illud; cuius non est alia ratio, nisi quod lignum continet multum aeris, & quod aer grauitat in loco suo proprio, non vero in aqua. Secunda experientia est de vtire, qui inflatus aëre plus ponderat, quam si non esset sic inflatus; quod non esset verum, si aer non grauitaret in proprio loco.

Respondeo primo, rationem harum experientiarum non posse refundi in grauitationem aeris, quia plus aeris est supra nos quàm possit includi in ligno, aut vtire, & tamen non sentimus grauitationem ipsius, sicut sentimus grauitationem ligni, & vtiris; ergo non potest oriri illa grauitatio ex aëre præcise, & consequenter hæ experientia non faciunt ad rem.

Respondeo secundo, quamvis daremus quod ideo lignum non descenderet sub aqua, nec grauitaret ibi, quia contineret multum aeris, inde tamen non sequi quod grauitaret in aëre ratione aeris in se inclusi; sed ratio cur grauitaret in aëre esset, quod aer in ipso inclusus non impediret descensum eius; vnde non obstante illo aëre posset descendere ratione grauitatis suæ, quam haberet ex sua substantia, quatenus non includit aerem; in aqua vero non descenderet nec grauitaret; quia ratione aeris inclusi impediretur descensus eius, quandoquidem aer petat esse supra aquam. Et per hoc patet ad primam experientiam.

Ad alteram experientiam de vtire inflato aëre, ac magis grauitante, ac ponderante, quam si non esset sic inflatus.

Respondet Aueris rationem esse, quod dum inflatur vtire, condensetur aer, hic autem condensatus magis grauitat quam non condensatus.

Verum hac responsio difficilis est, præsertim supposita sententia veriori de condensatione, nimirum quod fiat per egressum corpusculorum, & quod grauitas non sit accidens distinctum à substantia rei grauis; nam hinc sequitur quod aer condensatus, vt condensatus præcise, non possit esse grauior, quam non condensatus, quia per hoc quod sit condensatus non habet nisi habere partes suas proprias magis vnitas inter se propter exitum corpusculorum, quæ intermiscabantur, sed aer ex natura sua non habet vllam grauitatem: ergo quamuis vnirentur magis ac magis ipsius partes, non potest habere maiorem grauitatem. Vnde existimo quod si omnes partes totius aeris penetratiue ponerentur intra vtirem, non magis grauitarent, quam si solum ponerentur in eo tot partes, quot de facto.

Respondeo

Responsio Aueris ad experientiam vtiris reticetur.

Respondeo ergo aliter, si experientia illa sit vera (de quo aliqui dubitant, & facile esset probare) rationem potius esse, quod quando vter inflatur, coadunentur in ipso simul cum aëre aliqua corpuscula aëre grauiora, quæ descendunt deorsum, & causant illam grauitatem vtris.

CONCLUSIO III.

79. Probabile est, neque terram, neque aquam in loco naturali suo grauitare aut secundum se totam, aut secundum partem, neque etiam extra locum naturalem, quando est supra aliquod corpus non potens cedere ipsi. Hæc quoad primam partem est communis, & eam expresse tenet Auerſa quæst. 40. sect. 4. Arriaga hic num. 111. quoad secundam vero partem non inuenio illam ab authoribus propositam.

Probat pro prima parte: quia ideo grauitare deberent, vt pertingant ad locum naturalem suum, ergo si sunt in loco naturali suo, non possunt grauitare.

Confirmatur primo, de terra tota, quia si grauitaret deberet grauitare supra aliquid: sed non est aliquid, supra quod terra grauitare posset: ergo terra nõ grauitat. Probatur minor, quia non est aliquid infra terram totam, sed illud supra quod grauitaret, deberet esse infra ipsam: ergo non est aliquid supra quod grauitare possit.

Confirmatur secundo de terra quoad partes, quia nulla pars terræ petit esse sub alia parte naturaliter: cum enim partes eius sint eiusdē rationis, nulla per se potest petere esse sub altera magis, quam altera sub ipsa: ergo nulla debet grauitare supra alteram: & hæc ratio probat etiam quod aqua tota non grauitet supra terram, neque vna pars aquæ supra alteram.

Probat pro secunda parte: grauitatio est impressio impulsus, aut productio vbi deorsum, sed nullum corpus quantumvis graue positum supra aliud corpus non cedens, aut mouetur deorsum, aut imprimit impulsus; ergo nullum tale corpus sic collocatum grauitat. Probat minor, quia nõ producit vbi deorsum, alias cederet corpus suppositum; non etiam imprimit impulsus, quia impulsus non imprimitur, nisi mediante motu locali; & hinc impulsus impressus per motum locale, quando sistit motus, definit, vt patet experientia. Adde nullam posse haberi experientiam, quod imprimatur impulsus tali corpori, & impressionem ipsius esse inuilem omnino.

Dices colligi, quod imprimatur impulsus ex eo, quod corpus valde graue suppositum supra aliud corpus, vbi gratia lapis ingens supra trabem, frangat illud successu temporis: hoc autem non esset verum, nisi imprimeret continue ipsi aliquem impulsus, quo tandem perueniente ad intensiorem debitam, rumperetur trabs: ergo imprimatur impulsus tali corpori.

Respondeo negando corpori supposito v.g. trabi imprimi impulsus a corpore supra posito, nisi cedat ipsi: quoniam vero trabs aliqua successu temporis cadit, paulatim cedit siue continue, siue cum interruptione, & si non cederet, non caderet, nec imprimeretur impulsus ipsi.

80. Ex probatione autem huius partis confirmatur quod dictum est in prima parte, nempe vnā partem terræ, aut aquæ, non grauitare supra aliam partem, neque totam aquam supra terram, quia scilicet per se vna pars non cedit alteri parti, neque terra cedit aquæ: ergo neque vna pars aquæ, aut terræ grauitat supra aliam, neque aqua supra terram.

Probari potest secundo conclusio quoad primam partem experientia, quia natans sub aqua, non sentit pondus altissimæ aquæ supra positæ, & vas plenum aqua non grauitat infra aquam magis, quam vacuum grauitaret in aëre: sed huius non potest assignari aliqua causa, nisi quod aqua non grauitet in loco suo naturali neque secundum se totam neque secundum partem: ergo non grauitat in tali loco.

Contra hanc experientiam obicit Arriaga: nam si homo nataret sub aqua in cubiculo posita non sentiret aquam supra positam; & tamen aqua non esset in loco naturali suo, sed grauitaret supra cubiculum: ergo non ideo non sentiret homo grauitantem aquam in casu pro-

bationis, quia aqua esset in loco naturali suo.

Confirmari potest ex eodem: quia tota aqua grauitat supra cubiculum, quia cubiculum, aut pauimentum cubuli interpositum est inter aquā & aërem: sed corpus natantis interponitur inter vnā partem aquæ & aliam: ergo deberet pars superior grauitare supra natantem.

Propter hanc replicam respondet ipse, rationem cur non grauitet pars superior supra vrinatorem, hoc est illum, qui natat intra aquam, esse, quod partes aquæ non grauitent quando inter se coniunguntur. Et si replices, vas plenum aquæ positum infra aquam non grauitat, quamuis partes aquæ inclusæ non continuentur cum alia illa aqua, intra quam remanet; ergo non ideo non grauitat pars superior, quia coniungitur cum aliis partibus: *Respondet* distinguendo consequens; non ideo solum, transeat: non ideo, negat: dat autem aliam causam, cur aqua illa inclusa in vase non grauitet, quia scilicet aqua illa inclusa in vase non petit esse sub aliis partibus & propterea non debet grauitare, vt sit infra illas.

Verum in tota hæc doctrina primum displicet, quod supponatur aquam positam in cubiculo grauitare supra pauimentum, etiam si pauimentum non cedat. *Deinde & magis ad propositum displicet,* quod supponat partes superiores aquæ non grauitare, quando coniunguntur cum aliis partibus aquæ, & vas plenum aqua non grauitare infra aquam: quorum vtrumque videtur falsum; nam si vrinans conaretur eleuare vnā partem aquæ coniunctæ cum aliis partibus, aut etiam vas plenum aqua, sentiret difficultatem ortam ex grauitatione, vt experientia colligi potest.

Itaque existimo vrinatorem propterea non sentire aquam suprapositam, aut vas plenum aqua, quando non conatur attollere aut aquam, aut vas, quia non sustentantur ab ipso solo, sed maxima ex parte ab aqua quam circum se habent: & licet, quia partim sustentat illas, etiam grauitent partim, tamen grauitatio est tam exigua, vt vix sentiantur.

Vnde ad probationem potest responderi, negando maiorem: nam si natans cedit, grauitabit pars superior; si autem non cedit non grauitabit; sed hoc non orietur formaliter ex eo, quod aqua sit in loco naturali, sed ex eo, quod corpus infra positum non cedat, siue aqua sit in loco naturali, siue non, aut siue partes suprapositæ continentur cum aliis partibus, siue non continentur.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quid sit Mixtio.

NON quæritur hic de mixtione in largiori significatione, qua capitur pro cōiunctione plurium corporum distinctæ rationis, qua inter se localiter confunduntur & intermiserunt absque eo, quod vllum ex illis perdat suam naturam specificam, aut accidentia connaturalia, vt sit quando farina triticea & hordeacea coniunguntur inter se: Sed de mixtione proprie dicta, qua ita coniunguntur aliqua corpora, vt ex eorum cōiunctione sequatur destructio eorum, secundum naturam specificam, & productio alicuius alterius corporis ab ipsis distincti, & in quo ipsa tamen aliquomodo includuntur.

CONCLUSIO I.

82. Bene describitur mixtio esse miscibilium alteratorum vnio. Hæc est communis cum Philosopho: & patet ex eius explicatione. Dicitur *miscibilium*, id est corporum, quæ inter se applicari possunt. Dicitur *alteratorum* ad significandum quod, vt fiat mixtio, vnio in qua consistit, debet præsupponere talem alterationem rerum, quæ miscantur, vt non maneant secundum rationem suam formalem: & per hoc distinguitur mixtio proprie dicta, quæ est etiam vnio corporum distinctorum, quæ aliquo modo misceri inter se inuicem possunt.

Dices, si quæ miscantur, debet alterari sic, vt destruantur quoad rationem suam formalem: ergo non possunt dici vniri per vnionem sequentem.

Nnn 4

Respondeo

Descriptio mixtionis.